



**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||
LAVRETANAЕ HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

Torsellini, Orazio

Romae, 1597

Cap. 19. S. Domus à Benedicto XII. Pont. Max. Indulgentijs ornatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64112)

**Nova Aedes Lauretana à Benedic^to XII. Indulgen-
tijs ornata impensis celebratur. Cap. XIX.**

Hier. Ang.

Benedic^t
XII. Indul.

C Ondito ornatoq; templo ornementum deinde ma-
ius adiectum. Postulatum est à Benedic^to XII. Pont.
Max. vt certam delictorum Indulgentiam Lauretanum
templum rite visentibus largiretur. Haud ægre impetra-
tum. Ex eo tempore tantus Recinetensium pectoribus
ardor iniectus, vt plerique eorum nullis fere negotijs im-
pedirentur, quominus Lauretanam Aedē a tertio millia-
rio (tantum quippe distat ab oppido) reuiserent quotidie.
Quin etiam parui eorum filij a parentibus, ac nutricibus
assuefieri coepi, vt quotidie mane ē cunabulis prodeun-
tes ad natalem ædem Virginis versi, Lauretanam matrē
agnoscerent, salutarentque venerabundi. Cæterum se-
nes, ac valetudinarij senio morboque tardante, cum de-
more ad Lauretanum templum itare non possent, B. Ma-
riae Lauretanæ effigiem coloribus exprimendam curarunt
in foro. ibique facello, atque excitata, ab eodem Bene-
dic^to Pontifice aureis exaratum litteris diploma impetra-
runt, quo diplomate ad aram illam orantibus peccatorū
venia impertiebatur. Id ipsum diploma carie, ac vetusta-
te confectum Hieronymus Angelita, unus è primoribus
Recinetensis ciuitatis, qui circiter LXX. ab hinc annis
floruit, abs^e visum esse confirmat. Maceratensis porro
Episcopus (qui idem illa tēpestate & Recinetensis erat)
prodendam posteris Aedis Lauretanæ memoriam ratus,
libellum edendum curauit, qui admirabilem sacrosanctæ
Domus in Italiam aduentum, triplicemque eius in Reci-
netensi agro migrationem; præcipua insuper B. Mariae
Lauretanæ prodigia, ac miracula contineret. Et quo al-
tius in teneræ ætatis animos Virginis Lauretanæ religio
descenderet, Recinetensis ciuitatis decreto sancitum
est,

est, ut ludi magistri omnes in tradendis primis litterarum elementis, omnium primum talibus narrationibus imbuerent pueriles aures, animosque: libellique illius lectioni paulatim rudem assuefacerent etatem. Hinc eximia illa Recinetensum animis insita religio, pietasque aduersus Lauretanæ Virginis Domum.

Aedis Lauretanæ status, Romanis Pontificibus Auenione sedentibus. Cap. XX.

Quam porro altas in Picentium pectoribus radices egerit per id tempus Aedis Lauretanæ religio, vel illud indicio est, quod nullo sermè Romanorum Pontificum administriculo erecta, suis ipsaq; propemodum viribus innixa stabat. Quippe per eadem tempora, vt diximus, transferat Romana sedes in Galliam. Et quia aberat ab Urbe atque Italia Pontifex, multa ab Aede Lauretana, & decora & subsidia aberant, quæ nunc sunt, ac tum fuissent, nisi augustissima Aedes tot, tantisque miraculis, ac prodigijs clara, tam procul absuisset à Pontificum oculis auribusque. Cæterum ne sic quidem Pontificijs ornamentis omnino caruit. Quanquam Pontificiæ sedis longinqua fecit, vt à Romanis Pontificebus, quamdiu se derunt in Gallia, non tam ornata, quam non neglecta viseretur. Erat iam Lauretana Aedes à Benedicto XII. Indulgentiæ munere insignita, cum Clemens VI. eius successor sacerularem Iubilæi celebritatem ad quinquagesimum annum reuocatam absens ab Urbe (sedem quippe Auenione habebat) indixit egitque. Et vndique concurrentium Romanorum populorum multitudo fuit pene incredibilis. Ex qua complures, Flaminij scilicet, Aemiliisque incolas ad Lauretanam Aedem fama iam celebrē, ex itinere deflexisse oportet. Atrox inde pestilentia ab ipsa Urbe orbis terræ capite orsa totam sermè funeribus exhausta.

S. Anto. p. 3.
Plat. Clem.
VI.

IV. iudicij
sententia